



1. Rus s: Joh. Reinhi: diff. de serpente le
 ductore non naturali sed solo Diu polo
 iene 1712.
2. — diff. de vario Moisi in Montem Pirai
 ascensu, iene 1716.
3. — diff. de iudea rebur gestis et
 miraculis Christi c: Clara, iene 1733.
4. — diff. de veris spectaculis Iesu Christi
 requiecit, iene 1733.
5. Rur Meyer s: Mich. Christ: diff. de Ara
 ne, viro sancto, tribus Levi, typo
 Christi, Gryphius 1738.
6. Sauerbräu s: Joh. diff. de Deo uno et
 trice 1698.
7. Schauheri s: Iuri: diff. de septem spiritu
 tibus a Joh. Theologo celebratis
8. Schelguigij s: Sam: diff. de dono fidei
 justificantis, Lipsia 1736.
- 1739.

I. N. I. 28

DISPVATATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA
DE
**ECCLESIA
ERRORE IMMUNI**

QVAM
PRAESENTE
**GEORGIO FRIDERICO
SCHROEERO**

SS. THEOL. DOCTORE PROF. PVBL.
H. T. ORDINIS SVI DECANO ET ALVMN. REG.
ELECTOR. EPHORO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES
CONSEQUENDI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS
AD D. I. IVL. cI, I, cc XXVI.
IN AUDITORIO MAIORI
PVBLICE DEFENDET

M. CHRISTOPH. LUDOV. Stieglitz
LIPSIENSIS

S. S. THEOL. CANDIDAT. ET AD DIV. VENCESLAI
APVD NVMBVRGENSES ARCHI-DIACONVS.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



DISCUSSIO MAGISTRALE THEOLOGICA
DE
REGESIA
BRYGGBIMMI
GEORGIO FREDERICO
SCHROEFER
SS. THEOL. DOCTORI PROL. PARL.
PROGENITORI ET AVUNCLO REG.
SECRETORI HEROIS
PRO PUGNIA
SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES
CONSERVANDOS
HOMINIS ANTE ET POST MUNDI STATIONE
IN AUDITORIO MAGISTRI
CHRISTOPHI TUDORI
M. TUDORI
THEOLOGI ET DE MUNICIPALI
AD CIVITATIS AVGVSTINIANAE
MILLIARIAE GERMANIE

§. I.

Ecclisia Romana, quam nullis erroribus implicari putant Dissidentes, res est, omnium Pontificiorum consensione, laudata, sed magna de vocis, Ecclesiae, significatione inter Pontificios celeberrimos est dissensio. *Sola Ecclesia*, ait *Tosatus Alfon-sus T. IX. Oper. P. 1. in Matth. p. 27.* universalis, quam vocat universitatem fidelium, per totum orbem diffusam, non potest errare in his, quae ad fidem pertinent. Hoc declarat Apostolus Ephes. 4. dicens, quod Christus dedit in Ecclesia quosdam Apostolos, alios Prophetas etc. Ideoque tenemur simpliciter stare doctrinae istorum, et ita non erimus fluctuantes, sicut parvuli, nec decipiemur ab haereticis. Nos quoque existimamus, in nullum errorem induci Christianos, qui Verbum, a Prophetis, Evangelistis & Apostolis conscriptum, ducem & lucem sequuntur; ab hac vero sententia aliena est Romana Ecclesia & Bellarminus, qui *Tom. II. Oper. l. 3. de Ecclesia militante c. 14. p. 148.* ait: *Cum dicimus, Ecclesiam non posse errare, id intelligimus, tam de universitate fidelium, quam de universitate Episcoporum; homines autem, quos vocat fideles, statuit esse sub regimine Pa storum, ac praecipue unius Christi in terris Vicarit, Romani Pontificis, c. 2. l. alleg. p. 108. & *Becanus l. 1. Manual. c. 4. §. 6.* ait: *Debent Christiani adhaerere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex.* Hi, fideles nullo errore duci, arbitrantur, si se, su asque sententias ad voluntatem Doctorum, speciatim Ro-*

A

mani

mani Pontificis, confirmant. Hinc, missis fidelibus, quaeritur, an Romana Ecclesia, quae constat ex Doctoribus, Pontifice scilicet Romano, Ecclesiae Romanae capite, ceterisque Episcopis, non possit errare? Concilium universale in errorem rapi, pernegrarunt Doctores pontificii, qui, Concilium supra Papam esse, statuerunt. De qua re tempore Concilii *Piiani*, *Constantiensis*, *Basiliensis*, *Florentini* et *Lateranensis* quaestio agitata est. *To status T. II. Oper. P. i. in Exod. p. 250.* dicit: *Tota Ecclesia errare non potest, aut totum Concilium, quia Spiritus S. ibi adest: tamen summus Pontifex, in quantum unus judex, errat aliquando, quia non cognoscit omnia, licet dicatur, habere omnia jura in scrinio peccatoris.* Hanc opinionem, teste *Bellarmino*, fecerunt suam *Cardinalis Cameracensis*, *Gerson*, *Jacobus Almainus*, *Nicolaus Cusanus*, *Florentinus*. *Jansenius* quidem cum *Theodooro Simone* de infallibilitate Papae disputavit, eamque verbis tueri conatus est, vid. *Leydeckeri Histor. Jansenismi* p. 69. seque & omnes, quos conscripsit, libros judicio Ecclesiae subjecit. Vid. *Tom. II. August. l. i. de statu purae naturae c. i.* p. 682. Verum *Antonius Moraines* in *Anti-Jansen. disp. i. Sect. 6.* p. 14. *Jansenistas* ideo criminis reos fecit, quia *Lutherum* sunt sequuti, & a Papa, qui *Jansenium* errorum condemnavit, ad Concilium provocarunt. *Sorbona*, cujus verba refert *Thomas Stegerus*, eo tempore improbavit has *Gabrielis Druetii* theses & sententias: *Christus S. Petrum, ejusque successores, summa supra Ecclesiam autoritate donavit. Concilia generalia ad extirpandas haereses, schismata & alia incommoda sollenda esse utilia, non tamen absolute necessaria, & hanc de illis tulit sententiam: Doctrina Facultatis non est, quod Summus Pontifex sit supra Concilium oecumenicum. Facultatis dogma non est, quod Summus Pontifex, nullo accidente Ecclesiae*

con-

consensu, sit infallibilis. Et in hac sententia alios quoque in
 Gallia Doctores manisse, probatur testimonio *Collection.*
Varior. Tractat. in quibus praecipuae controversiae inter Roma-
 num Pontificem & Ecclesiam Gallicanam de auctoritate Papae
 & politica potestate agitantur. Horum quoque judicio ste-
 terunt *Quesnelli* & alii *Quesnelli* Admiratores, qui *Vni-*
genitum, auctoritate Papae, *Clementis XI.* confirmatum, repu-
 diarunt. *Quesnel.* in N. T. Act. 15, 2. ait : *Die Kirche muß*
 über die Wahrheiten des Glaubens den Auspruch thun, judi-
 cem autem sententiarum Theologicarum putavit esse Con-
 cilium. Nam his verbis : *Concilium, oder Versammlung*
 der Gläubigen wegen der Ceremonien des Gesetzes, complecti-
 tur omnia, quae capit. 15. Act. ante oculos ponuntur : &
 cap. 18. Matth. v. 20. his verbis explicavit : *Was vor Ehr-*
erbietung ist man nicht den Concilii schuldig, wo die ganze
 Kirche in ihren Hirten versammelt ist, zu Erleuterung der Wahr-
 heit &c. Blind sind die, welche ihre Meinungen der Meinung
 so heiliger Versammlungen vorziehen, oder gleich achten; nec
 aliud Ecclesiae coluit caput, quam Jesum Christum. Nam
 Col. 2, 19. p. 1324. ait : *Kein ander Haupt, kein ander Mittel,*
 an dem man genug haben könne, als den, o Jesu mein
 Herr. Episcopi, ceterique Doctores, qui alienos ab
Vnigenito habent animos, Concilium universale de do-
 trina *Quesnelli* & *Unigeniti* Papae constituerunt judi-
 cem. Sed major illorum est numerus, qui majorem au-
 toritatem Papae, quam Concilio universaliter tribuunt. *Haec*
 propositio, ait *Bellarminus* c. 17. l. 2. de *Concil. auctoritate* p. 95.
Summus Pontifex simpliciter & absolute est supra Ecclesiam uni-
versam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris
supra se judicium agnoscat, est fere de fide. Hinc Concilium,
 ait *Canus* l. 5. de *Aus. Concil. c. 4.* p. 246. *generale, quod aucto-*

tate Pontificis nec congregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest. Concilium generale, etiam congregatum Romani Pontificis autoritate, errare in fide potest. Fide catholica, ait Bellarminus l. 2. de Concil. autoritate c. 2. p. 53. tenendum est, Concilia generalia, a summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide, nec in moribus. Hanc propositionem, dicit Canus l. cit. p. 248. ita exploratam habere opus est, ut, ejus contrarium haereticam esse, credamus. Sed haec doctrina non potest vocari Catholica. Nam Luius Turrianus disput. in secundam secundae Thomae 16. Dub. 1. p. 202. aliqui, inquit, Pontificii afferunt, Pontificem cum Concilio generali non posse errare, bene tamen solum, Gerson scilicet, Almagnus, Castro, Adrianus. Hi enim summam autoritatem tribuunt Concilio, & putant, Papam non errare, quia Concilium universale erroribus non coecatur; illi vero statuunt, Concilium universale non errare, quia summa Papae autoritas, quae falli nequit, omnem errorem evellit Concilio. Nam Pontifex Romanus, ait Gregorius de Valencia. T. III. Commentar. Theologic. disp. 1. q. 1. punct. 7. & hujus quaeſt. 5. p. 237. est is, in quo, tanquam in Divi Petri successore & totius Ecclesiae capite, autoritas infallibilis residet. Omnesque Pontificios, qui hanc opinionem acupati sunt, omnia Papae, nihil vero Concilio universalis, tribuere, probant concilia particularia, quibus Papa, confirmatis Concilii sententiis, tantam adjicit autoritatem, ut decreta istorum a nullo Pontificio in dubium possint vocari. Hi Pontificii, quasi in partes divisi, quaeſiverunt: An errare possit Papa, sine suffragiis Conciliorum de doctrinae Christianae capitibus dicens sententiam? Papa posse errare, statuerunt Tostatus Part. II. Defensorii cap. 30. p. 45. & alii. Papa, inquit, frequenter errat ex ignorantia & fert iniquam sententiam. Non tantum accidentia

dentia & particularia, factaque humana Papa ignorat, sicut quilibet aliis simplex homo, sed etiam circa fidem potest Papa ignorare et errare, & effici haereticus, aliquando per ignorantiam, aliquando per aliam affectionem. Sic patet in Decret. distinct. 4o. cap. si Papa deprehenditur a fide devius, deponitur. A Papa ad Concilium non provocassent, neque majorum Concilio, quam Papae, autoritatem tribuissent multi Pontificii celebres, nisi, fraude diaboli, opinionibus hominum, & mente, ad peccatum proclivi, Papam posse in multos errores rapi, existimassent. Papam posse errare, nullus negare potest Pontificius, qui, Papam haereticum posse fieri, atque deponi, non inficiatur. vid. Arriaga Tom. V. disput. theol. Tract. de fide divina disput. 7. p. 118. Qui autoritatem Papae tueri conantur Pontificii, Papam, personam privatam, quam errare posse, non eunt inficias, distingvunt a Persona publica. Pontificem in rebus, ait Gregorius de Valentia, l. alleg. p. 310. omnino controversis, hoc est, non satis expresse in Ecclesia comperitis ac determinatis, qui dicunt, definire posse, ut personam publicam, errorem, re ipsa contra fidem, errant ipsi in fide gravissime. Potest autem Papa, Doctor privatus, inquit Celloius l. 4. de Hierarchia Jurisd. c. 10. p. 197. falli credendo, & fallere proponendo: ut, cum Stephanus junior, infantes vino baptizari posse, aqua deficiente, respondit. Illumque errorem potest aliis obtrudere, vid. Gregor. de Valentia l. c. p. 310. Sed hoc negat Coferus, Romanos, dicens Enchir. Controvers. Pontifices vel haereticus posse alios docere, vel errorem proponere, constanter negamus. Papam quoque, ne quidem personam privatam, posse errore capi, negant quidam Pontificii. Quam opinionem Arriaga l. c. p. 119. quidem vocat piam, quod solidum autem habeat fundamentum, recte pernegat. Papam

a fide unquam defecisse, negat Hosius in *Catholicae doctrinae solida propugnatione* fol. 130. Pighius in *Hierarchiae Ecclesiasticae assertione* l. 4. c. 8. fol. 167. alpernatur & refutat *Canonistas*, qui Papam posse haereticum fieri, *Clementis* autoritate, probare conati sunt. Vid. *Arriaga* l. cit. p. 118. & *Bellarminus* l. 4. de *Pontifice Romano* c. 6. p. 815. negat, Papam, personam quoque privatam, posse fieri haereticum. *Pighii* opinionem speciatim refellit *Stapletonus T. I. Oper. Controv.* 3. q. 4. fol. 706. & *Bannes T. III. Scholast. Commentar.* q. 4. *Conclus.* 4. opponit *Pighio* autoritatem multorum Doctorum Pontificiorum. Papa vero Persona a Pontificiis vocatur publica, quando, ut *Pontifex*, & idcirco, ex *Cathedra*, dicit sententiam. *Infallibile*, ait *Tapperus in Orat. Theol.* p. 340. *judicium convenit Papae ratione officii & Cathedrae, in qua sedet*, & *Svarez in opere de triplici virtute, disp. 5. sect. 8. n. 4. p. 94.* Papa definiens, ait, ex *Cathedra*, si regula Fidei, quae errare non potest, quando aliquid avibene proponit universae Ecclesiae, tanquam de fide divina credendum. Ita docent hoc tempore omnes Catholicci Doctores, & censeo, esse rem de fide certam. Loquitur autem, inquit *Cellotius* l. cit. p. 197. ex *Cathedra* Papa, cum tres adhibeat conditiones: *Propositio sit vera, vere revelata & quidem Prophetis, Apostolis & Canonicorum librorum Scriptoribus*, ut monet *Thomas*, quibus addunt alii *Concilia, Patres, Traditiones*; non judicet solus & adhibeat diligentiam, sine qua, inquit *Cellotius*, *Christus ex lege ordinaria neque Pontifici, neque Concilio infallibilitatem promisit*. *Propositionem proponat toti Ecclesiae Papa, eumque pronuntiet haereticum, aut ei anathema imprecetur, qui alter senserit, vel dicat, id certum esse ex fide*. Infra vero probabo, Pontificiorum animos, qui in magna istius rei igno-

ignoratione versantur, atque nesciunt, an munus suum Papa expleverit, semper fluctuare incertos. Jesuita Hannenberg subscribit sententiis illorum, qui, Pontificem Romanum & Concilium universale nullo errore implicari, existimant. Nam c. i. *Theol. Controvers.* p. 2. quaerit: *Potestne Ecclesia Christi, dum aliquid proponit credendum, errare.* Resp. *Hoc aequi impossibile, ac impossibile est, Christum in promissis suis falli aut fallere;* & p. 2. quaerit: *Quid per Ecclesiam, quae nomine Dei infallibiter nobis proponit, quae credenda sunt, intelligitur?* R. *Caput est precipua ejus membra, videlicet Romanus Pontifex & Concilium Generale Episcoporum.*

§. II. Tria sunt negotia, quae absque errore administrare & confidere Papam, statuunt Pontificii. Papa, dicunt, non potest errare non tantum in decretis fidei, sed neque in praeceptis morum, quae tradit, vel approbat pro universa Ecclesia, quantum ad substantiam, seu quantum ad honestatem morum. *In praeceptis & judiciis particularibus*, ait Bellarminus, non est absurdum, Pontificem errare. *Judicium Ecclesiae*, ait Canus l. cit. p. 280. non nunquam opinionem sequitur, quam & fallere saepe continet, & falli. *Vid. Bellarminus. l. 4. de Romano Pontifice c. 5. p. 418.* Svarez de triplici virtute disp. 5. Sect. 8. §. 7. p. 95. *Canus in Locis* p. 275. &c. 2. Pontifex non potest errare in Canonizatione Sanctorum. Intelligentiam decreti Pontificis, qui mortuos in numerum Sanctorum adscribit, necessariam esse, argumentis probare conatur Thomas, aliquique, a Svarezio & Arriaga allegati, & hic Tom. 5. oper. p. 148. putat, sententiam illam esse de fide; *Turrianus autem l. cit. disp. 16. dub. 3. p. 208. ait: Miki placet primo, haereticum esse, negare, in Ecclesia esse potestatem canonizandi Santos.*

Secundo

Secundo placet mihi, ut probabilis, communis sententia multorum, afferentium, non esse haereticum, afferere, Pontificem posse errare in canonizatione Sanctorum. Est communis Theologorum, ut docet Barnes. Tertio dicendum est, probabilem esse sententiam, afferentium, de fide esse, Pontificem non posse errare in canonizatione Sanctorum. Saltet temerarium est, afferere, Pontificem posse errare in Canonizatione Sanctorum, 3. Pontifex non potest errare in approbatione Religionis, quoad substantiam. Vid Svarez l.cit. p. 69. Hanc quidem sententiam de fide non esse, sentiunt, teste Arriaga p. 150. multi Pontificii: Iste tamen & reliqui statuunt, esse certum, Papam non posse errare in approbatione alicujus Religionis. Ab his vero dissentit Canis, quem verbis reprehendunt Barnes, Svarez, Turrianus & reliqui.

S. III. Diversis Pontificiorum, qui, in quaestionibus juris Papam errare, pernagarunt, sententiis expositis, verba facienda sunt de illis, qui, Papam in quaestionibus quoque facti non errare, statuerunt. Anno M. D. C. LXI. Lutetiae Collegio Claremontano haec affixaes fuerunt theses: Christum nos ita caput agnoscamus, ut ipsius regimur, dum in Coelos abiit, primum Petro, deinde successoribus commiserit, & eandem, quam ipse habeat, infallibilitatem, concederit, quoties ex Cathedra loquerentur. Datur in Ecclesia Romana controversiarum Fidei judex infallibilis, & jam extra Concilium Generale, tum in quaestionibus juris, tum facti. His verbis conabantur Thesium autores probare, non errasse Pontifices Innocentium X. & Alexandrum VII., qui Augustinum Jansenii dixerunt esse haereticum, Jansenium, non auditum, & sentencias, quas, Jansenii esse, putarunt, non exploratas, in sensu Jansenii haereseos condemnarunt. Quidam in Gallia Doctores, quibus nova doctrina vehementer

ter displicuit, conscripserunt librum, cui hic fuit titulus: *Nova haeresis Jesuitarum*, editus quoque est tractatus, de *Distinctione juris & facti in Causa Janseniana*. Videatur *Belga Percontator*, sive, legantur *Francisci Profuturi, Theologi Belgae, super Narratione rerum gestarum in Conventu Cleri Gallicani circa Innocentii X. Constitutionem scrupuli p. 294. & p. 296.* Et summa data est opera a multis *Galliae Doctoribus*, ut literis, ad *Clementem IX. datis*, in novam Jesuitarum doctrinam magnum Pontificis odium concitarent. *Beatisime Pater*, dicebant, *novum & inauditum apud nos nonnulli dogma protulerunt, Ecclesiae nempe decretis, quibus quotidiana, nec revelata divinitus, facta deciduntur, certam & infallibilem constare veritatem, adeoque ipsa, non minus quam in Scripturis & Traditione, dogmata, fide esse tenenda. &c. Vid. Tractat. allegat. p. 330. libri, cui titulus: *Causa Janseniana Pauli Irenaei*.*

§. IV. Absolutis illis, quae ad historiam opinonis animo considerandae (verbis Pontificiorum ideo explicatam, ne videar, aliquid illis affinxisse) & quae ad statum controversiae pertinent, ad veras sententias, Pontificiorum opinionibus oppositas, recte exponendas, demonstrandasque, me applico. Ecclesia militans, quae in controversiam ducitur, ex signis externae societatis cognoscenda, dicitur a *Lutherana Ecclesia*, artic. 7. Aug. Confess. congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur sacramenta, cuius interna ratio in *Apologia c. 4. his verbis exponitur: Principaliter est Societas fidei & Spiritus S. in cordibus, quae tamen habet externas notas, ut agnosci possit.* Haec Societas, soli Deo nota, quoniam fides & pietas sensu nostro non possunt percipi, dicitur invisibilis, atque in Catholicam, seu universalem,

B

quae

quae vel ἀπλῶς universalis est, universa scilicet omnium vere credentium, qui unquam fuerunt, nunc sunt, atque aliquando erunt, Societas, vel est κατὰ τὸ universalis, estque universa Christianorum vere credentium, qui in omni terrae parte, ubi aliqua Christi est Ecclesia, vel vivunt, vel ducent vitam, vel duxerunt, Societas; & in particularem dividitur, & haec est societas vere credentium & in certa terrae parte viventium. Doctrina, errori opposita, vel fundamentalis, et haec aut ipsum fidei fundamentum est, aut aliqua ejus pars; vel doctrina non fundamentalis est: & ille potissimum error, qui adversatur fundamento, est res, de qua habetur quaestio. Hic error vel occupat omnium credentium, ex quibus universalis constat Ecclesia, animos, una atque simul, vel descendit gradatim: & quaeritur: An Ecclesia universalis una & simul a suo Doctrinae Christianae erret fundamento?

§. V. Amplectimur hanc, quam *Lutherana Ecclesia* hactenus defendit, sententiam: *Ecclesia Catholica, quae est invisibilis, nunquam simul & semel a fundamento fidei erravit, nec errat, nec errare potest.* Ecclesia enim Matth. XVI. 18. supra Petram aedificata, est Ecclesia Catholica, quae omnes Ecclesias complectitur particulares, & portas inferi mortem ipsam, vel statum mortuorum, esse, vocibus: Πύλαι αἱ, non probarunt *Sociniani, Grotius, Hammondus & Clericus.* Nam Ecclesia, quae multis laborat hostibus, est militans, & Christianæ militiae dederunt nomen homines, non mortui, sed vitam in mundo degentes, qui virtute Petrae, quae est Christus, victoriam consequntur. Hoc vero de omnibus mortuis dici nequit, quibus Christus vitam, olim amissam, decreto justitiae suae, non vero satisfactione commotus, restituet. Portae inferorum, Eccle-

Ecclesiae Christi inimici, non audent debellare mortuos, qui vel perpetua fruuntur felicitate, vel in societatem condemnatorum assumti sunt, & in potestate portarum inferorum continentur, quae sunt regnum, vis, robur, tyrannis ac potestas infernalisa, & omne id, quod suis viribus potest Satan, cui succumbit Ecclesia, si defertur in errores, quibus fidei fundamentum labefactatur. Si aduersus aliquem, ait recte Origenes in Matth. p. 267. *inferi portae praevalebunt; qui talis erit, neque petra, super quam Christus Ecclesiam aedificat, nec Ecclesia, a Christo super petram aedificata, fuerit.* Sed non agemus litem aduersus Pontificios, qui, Ecclesiam universalem erroribus, quibus fides evellitur radicibus, capi, inficiantur.

§. VI. Ecclesia Vifibilis potest a fide errare atque deficere. Ecclesia olim vifibilis Exod. XXXII, 1. fqq. aureum adoravit vitulum, finxitque Deum. Theodoreto quidem crimen Aarónis verbis excusavit, vid. Lippomani Catenam fol. 716. quoniam vitulum formare necessario coactus est; Ambrosius vero, coactus, ait, T. II. p. 1054. Aaron parat annulos, neque tamen excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Sed res ipsa, qua in se & Dei, & Mosis indignationem convertit Aaron, & preces, quibus Moses Deum placavit, probant, quod Aaron manifesto crimine convictus fuerit. Nec dissentunt a nobis Pontificii Carrriere, Bonifacius, Alyssius Novarinus, Cajetanus, Tirinus & alii; sed nec caput, nec corpus peccasse, arbitrantur Belarminus, & Beccanus, quia nec Moses, nec Levitae in iudicium vocari potuerunt. Verum Ecclesiae Israeliticae caput, nec Moses, nec Aaron, sed Deus fuit solus. Et Levitae, qui ex societate vifibili se subduxerunt, & ceteris errantibus eo tempore fuerunt ignoti, non constituerunt

coetum, quem Ecclesiam vocamus visibilem. Totam Ecclesiam visibilem olim defecisse, probabat Elias i. Reg. XIX, 10. qui dicebat, se, ceteris occisis, esse superstitem. *Bellarminus, Beccanus & alii* Judaeos a Christianis, & Synagogam ab Ecclesia distingunt. *Populus Judaeorum*, ait *Bellarminus*, non erat Ecclesia universalis, & exira illum populum inveniebantur fideles Melchisedech, *Job &c.* & *Beccanus* inquit: Ecclesia habuit promissionem de sua firmitate, quam Synagoga non habuit. Ecclesia est libera, Synagoga fuit ancilla. Nodum solvit *Gerhardus Loc. de Ecclesia* n. 89. p. 279. *Sqq.* & respondet acute. Magna Ecclesiae, quae fuit olim, Judaicae, & quae nunc est, Christianae, est similitudo, utraque vera debet vocari Ecclesia. Hinc si illa defecit a fide, suo probat exemplo, Ecclesiam posse errare & a fide deficere visibilem. Nato *Elias*, neque *Melchisedech*, neque *Jobus* fuerunt in vivis, nec alia, quam *Judaeorum Religio*, fuit vera. Si vero aliqui *Abrahami* posteri superstitione non fuerunt capti, Ecclesiae invisibilis fuerunt membra, quorum Religio privata non probat, Ecclesiam non errasse visibilem Judaicam, cui pariter, atque Christianae, opem tulit Dei Spiritus. *Judaeorum Ecclesiam* ante Christi adventum defecisse, negat *Bellarminus*, putatque, *Elias* unice credidisse, illam tantum *Judaeorum* partem errasse, quae subjecta fuit Regi *Samariae*. Hinc *septem*, ait, *millia virorum relicta erant sub Rege Samariae*. *Beccanus* hoc confirmat argumentum, *semper*, dicens, in *Templo Salomonis* videtur mansisse usus sacrificiorum secundum legem *Mosaicam*. Ecclesia quidem olim Judaica non penitus perire, dum in magno errore fuit, visibilis. Virorum, qui a superstitione fuerunt alieni, nullam notitiam habuit *Elias*. Si Hierosolymis Deum religiose coluerunt *Judei*, omnes tamen

tamen Israelitas superstitione imbutos fuisse, & hanc Ecclesiam visibilem a Deo defecisse, putavit Elias. Ecclesiae vero utriusque conditionem, quam nacta est tempore Oziae, Joatham, Ahas & Zechizkiae his verbis exposuit Esaias c.X, ii. *Nomine, quemadmodum feci Samariae & idolis ejus, sic faciam Jerusalem & simulacris ejus.* Ecclesia, mortuo Christo, erat invisibilis, multisque erroribus erat implicata visibilis. Sacerdotes a Deo defecerant, populus repudiaverat Christum, Apostoli vocabant Personam Christi & verba ejus in dubium. Huic sententiac favent Alexander Alensis & Jo. de Turrecremata, qui, teste Bellarmino L. III. de Ecclesia militante c. 17. p. 158. T. II. Oper. statuunt, *in passione Domini non mansisse fidem, nisi in Maria virgine.* Haec displaceat Bellarmino, qui putavit, *Sacerdotes & Pontifices privilegium non errandi usque ad tempora Christi habuisse; aliquos tantum, & forte minorem partem Judaeorum, clamasse: Crucifige. In urbe Hierusalem fuisse Nicodemum, Josephum ab Arimathea, multosque alios, quibus id displacevit, & in toto orbe terrarum fuisse plurimos Judaeos dispersos, qui nihil sciverunt de morte Christi, & prouide in vera fide & religione permaneserant. Apostolos tunc non fuisse Episcopos, nisi designatos, errorem igitur Apostolorum non obfuisse Ecclesiae universalis, nec esse putar probabile, Apostolos fidem amississe, sed Christum illos, ad credendum tardos, Marc. ultimo objurgasse.* Facultatem non errandi dedit Deus nullis in veteri Testamento Sacerdotibus, qui, Christum rei capitalis damnantes, errarunt omnes. Hinc si Apostoli, judice Bellarmino, nulli fuerunt Episcopi, a veritate aberravit tota Ecclesia representativa. Judaei non fuerunt pauci, qui a Sacerdotibus, magnopere errantibus, cōmōti, clamarunt: *Crucifige. Nicodemum, aliosque viros, Christi doctrina eruditos, fidem veram Christumque concepisse,*

solus cognovit Deus, qui cum ceteris Ecclesiae invisibilis membris illos copulavit: isti autem cum Apostolis ante resurrectionem Christi nullam externam fecerunt societatem. Judaei longe lateque dispersi vel habuerunt natī Christi notionem, eumque aut fide sunt amplexati, & membra invisibilis fuerunt Ecclesiae, aut illum aspernati sunt, & nulli fuerunt verae Ecclesiae socii; vel natum ignorarunt Christum, de quo vel errante cum Ecclesia, vel cum Ecclesia Judaica vera statuerunt. Si illud fuit, Ecclesiam visibilem, errore immunem, factis suis non demonstrarunt, si vero istud dici debet, & illi cum veteri Ecclesia Judaica Messiam religiose coluerunt futurum, Christo nondum revelato, fuerunt in Ecclesia quidem, de illo doctrinae capite vehementer errante, sed simul de Ecclesia vera & invisibili, suisque probarunt exemplis, quod tota visibilis errare poscit Ecclesia, & in errante Ecclesia invisibilis poscit esse Ecclesia. Apostoli ante mortem Christi fuerunt, non designati, sed constituti Episcopi, qui jussu & autoritate Christi docuerunt alias Evangelium, valde autem errarunt in doctrina, & necessaria fidei capita, de Persona Christi & resurrectione ejus, non sine fundamenti fidei laesione, pernegarunt. Hinc dubium non est, quin & fidem amiferint veram, & Christus non fidei tantum tarditatem, verum etiam ejus absentiam, objurgaverit. Nam τοῦ ἔδειν, ait Marcus c. XVI. 14. ἐΦανερώθη, καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπίστων σύντονην καὶ σκληροπαγδίαν. Hinc argumentum Lutheranorum, quo, totum Ministerium, seu totam Ecclesiam representativam, Christo patiente & mortuo, errare potuisse, probatur, a Jesuitis, sive, Apostolos ante effusionem Spiritus S. Doctores fuisse, sentiant, sive pernegerint, non potest infringi. Ecclesiam errare posse

posse atque deficere, probat *Paulus* 2. *Theffäl.* II. 3. ὀπο-
γασία Ecclesiae, quam *impietatem* *Grotius*, *rectius Ham-*
mondus & *Nostrates* *defectionem* vocant. Non dissen-
tiunt a Nobis Pontificii, *Salmero* *disput.* in *Epiſt. Pauli* *Tom.*
III. ſpeciat. II. in *Epiſt. 2. Theff.* fol. 387. & *Eſtius* in *Com-*
ment. qui *defectionem* fieri, dicunt, *cum quis deficit, ac rece-*
dit ab eo, cui ſubjectionem & obedientiam debebat. Multi Pa-
tres, a *Salmerone* allegati, putant, *Paulum* loqui de Regni
Romani *defectione*, qua omnes gentes, Romanorum im-
perio *subjectae*, ab eo recedunt. Vid. *Eſtius*. Mittimus
Patres, quia ab illis alieni quoque ſunt prudentiores alle-
gati, (quoniam illorum opinionem valde probabilem
eſſe, existimet *Bellarminus* L. III. *de Ecclesia militante* c. 16.
p. 156.) Pontificii, *Paulum*, rati, *defectionem* a fide pree-
dixisse futura. Apostolus enim, optimus verborum suo-
rum interpres, I. Tim. IV. 1. inquit: Τὸ δὲ πνεῦμα ἡγτῶς
λέγει, ὅτι ἐν ὑσέροις καιροῖς ἀποσύνοντά τινες τῆς πιστεως.
Sed a Paulo diſſentiantur Pontificii, qui *defectionem* vocant
rebellionem Ecclesiarum a Romano Episcopo; verum *Salmero*
ſtatuit recte, *Paulum* loqui de Fidei Christi *defectione*,
Christi autem fides a Romano Episcopo res eſt tota di-
verſa, & πιστις eſt doctrina Christi, ex ſacris diviniſque literi-
ris unice cognoscenda. Defectionis autor eſt ὁ ἀνθρώπος
τῆς ἀμαρτίας. Bene *Eſtius*: *Haec Anti-Christi epitheta*
ſunt. Sedet iſte in Templo Dei, & Dei instar colitur.
Ergo defectio ejus non eſt unius hominis, ſed multarum
Ecclesiarum particularium.

§. VII. Ecclesia particularis potest errare, & a fide de-
ficere. Hinc *Paulus* 2. *Corinth.* XI. 2. & 3. omnem dedit
operam, ut fide conſirmaret *Corinthianorum* animos, ne
a Doctoribus falſis in errorem inducerentur. Recte *Eſtius*:
Virgo

Virgo casta & incorrupta significat Corinthianorum Ecclesiam. Hanc ad Christum adduxit Paulus, ut sponsa esset Christi: nisi haec a vero posset labi, non dixisset Apostolus: *Sed metuo, ne quo modo, sicut serpens ille Evan decepit versutia sua, sic corrumpantur sensus vestri, & declinent a simplicitate illa, quae erat erga Christum, vel quae est in Christo.* Recte Esius: *id est a simplici, pura & incorrupta fide, quam habetis in Christum.* Sed haec divina sententia adversatur opinioni Pontificiorum, qui omnem Ecclesiam particularem, sola Romana excepta, errare & corrumpi posse arbitrantur. *Paulus* metuit, ne Ecclesia *Corintiaca* a Christo & doctrina ejus abduceretur. Hoc vero dolet Pontificios, multas Ecclesias, quas vocant particulares, a Papa & Romanae Ecclesiae doctrina defecisse. *Decessionis nomine*, ait Bellarminus l. cit. de Ecclesia militante p. 156. intelligit *Paulus* 2. Thess. II. *decessionem ab Ecclesia non generalem, sed particularem, id est, non omnium, sed multorum, vel omnium quidem, sed occulorum, haereticorum.*

§. VIII. *Romana Ecclesia magnopere erravit, & a fide defecit.* Non enim innititur Scriptura Sacra, sed partim libris, a Prophetis quidem & Apostolis conscriptis, ab ipsa vero Ecclesia Romana verbis explicatis, partim traditionibus, vel verbo non conscripto, quo labefactatur & revertitur fundamentum organicum. Symbolum Ecclesiae istius est novum, & a Symbolo antiquae Ecclesiae Romanae alienum. Defendit illa ac tinetur nova doctrinae capita, & dogmata Ecclesiae Romanae olim orthodoxae, Sacris literis fundata, mutavit, voluitque, ut & nova & corrupta & depravata, mandatorum divinorum instar, ab omnibus hominibus susciperentur. *Justitiam Christi, imputatam homini, qua solum in conspectu Summi Judicis iste justus*

appa-

apparet, putat esse vanum hominum figmentum; fidem, sine qua nemo summam felicitatem potest consequi, ex nudo assensu, quo nihil differt a fide historica, constare arbitratur; numerum Sacramentorum auxit, & unam Sacramenti Coenae partem abstulit; transubstantiationem, quam primi ignorarunt Christiani, statuit, & aliis Ecclesiis de cultu hostiae dedit mandata, omnibusque, doctrinae suae addictis, servitutem injunxit. Reliqua doctrinae istius capita praetereo silentio, & laudo libros, de Apostolia Romanae Ecclesiae editos, speciatim Nicolai Hunnii, & Kromayeri, Heilbrunneri *Uncatolicches Baptithum*, & aliorum scripta, Mayeri *disputationes theologicas, de vulneribus Romanae Ecclesiae*, Hammersteede *Babylonem conviclam* &c. Hinc non erat, a fide non deficit, nec se a Romana Ecclesia antiqua & orthodoxa separat Ecclesia particularis, quae non sequitur Ecclesiam Romanam novam & multis erroribus implicatam. Rechte itaque olim statuebant Lutherani, in *Augustiana Confessione* nihil contineri, quod discrepat a Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, scilicet antiqua & orthodoxa, quatenus ex scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro haereticis haberi postulant. Omnes vero Ecclesiae, Romana, Graeca & reliquae errant, quae suos sermones ad normam sacrarum literarum non dirigunt.

S. IX. *Concilia possunt errare, & non pauca aeterrarum.* Nam Ecclesia potest errare visibilis, & Concilium est Ecclesia visibilis repraesentativa. Populus pariter ac Sacerdotes errarunt olim. Speculatores Populi Israelitici omnes dicuntur coeci. *Falsa & fulta vident Prophetae, Thren. Jerem. II, 14.* Illi omnes negligunt suum officium & dicuntur canes muti, non tantum quia in magna rerum divinarum ignoratione versantur, & canum instar rabiosorum in notos insiliunt, vid. *Epiphanius Haeres.*

Haeret. 28. fol. 1036. sed potissimum, quia non latrant, & errores aliis non eripiunt, vera & falsa, bona atque mala, in unum confundunt & non recte interpretantur Dei verbum. Ezech. XXII, 26. Et dubium mihi non est, quin possint Doctores in Concilio labi erroribus, qui extra Concilium multis erroribus sunt implicati. Nostram sententiam confirmant decreta Conciliorum erronea. Haereticos oportet rebaptizari sententiis 87. Episcoporum, in Concilio Carthaginensi decretum est, vid. Cypriani opera p. 158. quam opinionem falsam Cornelius, Episcopus Romanus, ceterique in Italia Doctores recte refutarunt. Si Concilium, quod ante Constantini tempora celebratissimum vocat Fellus, & Africae Provinciae, Numidiae & Mauritanie Episcopi 87. errare potuerunt in doctrina, nullam habemus causam, cur negemus, Concilium quoque universale posse a fide deficere. Concilia posse cogi impia, & decreta fieri ab Episcopis haereticis, cum Scriptura Sacra pugnantia, constat ex Conciliis impiis, Seleuciensi, quod Patris & Filii δύο φύσεις improbat, Synodis Arianorum, quae Filii divinitatem pernagarunt, & orthodoxos Theologos ex Ecclesia ejecerunt, Concilio Ephesino II. quod defendit Eutychem, & reliquis, quae a via regia aberrarunt, Conciliis, Decreta Doctorum in Conciliis sunt saepe fallacia, quibus Viri prudentes & orthodoxi quandoque falluntur. Ariani in Synodo Nicena, quae ab urbe Thraciae nomen accepit, persuaderunt, teste Hieronymo adversus Luciferianos Tom. III. Oper. fol. 65. edit. Froben. Doctoribus incautis, ut a nomine Coëssentialitatis, sive Consubstantialitatis, abstinerent, & in locum ejus vocem similitudinis substituerent. Hoc facto palmas suas jactarunt Valens, Ursadius, ceterique Arianismi socii, dicentes: se Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis. Tunc & hoc nomen abolitum: tunc Nicenae fidei damnatio clamata

clamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse, miratus est.
 Haec opinio : Concilium non potest errare ; ponit impedimentum Ecclesiae, Veritatis conservatrici. Nam Concilium unum saepe contradixit alteri. Hinc si errare nequit Concilium , nulla dissentientium pars, a sententia Concilii, quod putat esse orthodoxum, se abduci , patietur , & Ecclesia vera non poterit in rectam viam reducere errantes.

§. X. Concilium universale potest non tantum errare, verum etiam errauit. Fidem Nicenam amplexata est Ecclesia Lutherana, Canonibus vero non subscriptis, & re ipsa probavit, Concilium vel posse errare universale, vel licere Ecclesiae, mandata Concilii, errore immunis, negligere. Nam de iis , qui sine necessitate , vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo ejusmodi, transgresi sunt, Synodo can. XI. vid. Beveregii Pandectar. p. 71. visum est , eti humanitate indigni sunt, clementia tamen in eos uti. Quicunque ergo germana poenitentia ducuntur , tres annos inter audiores exigent , ut fideles, & septem annos prosterrentur &c. & Can. XII. decrevit , ut illi , qui cingula deposuerunt , postea autem ut canes ad suum vomitum reverse sunt , ut nonnulli etiam pecuniam profunderent , & beneficiis militiam assequerentur , bi decem annis prosterantur supplices. Bal-
 samon equidem exigitat, Concilium loqui de illis militibus , qui, tempore persecutionis divino Zelo moti, militiarum cingula depo-
 suerant , & ad martyrium impetu quodam procurrarent : posse
 autem a martyrio defecrant & infideles persecutores sequuti erant. Et idem statuit Zonaras, vid. Bevereg. l. cit. p. 72. seq. ipsam ta-
 men militiam a Concilio condemnatam esse , putarunt alii,
 & recte statuerunt Autores der staatlichen Ausführungen der Ursachen, warumb die Chur - und Fürsten &c. das Concilium , so zu Trident angefetzt, nicht besuchen können. p. 31. Ca-
 nones Concilii fuisse causas superstitionis, & obscurasse merito-
 rum Christi magnitudinem. Concilium Chalcedonense, statuit
 Canon. XVI. Virginem, quae se Domino Deo dedicavit, similiter &

monachos, non licere matrimonio conjungi, sin autem hoc fecisse inveni fuerint, sint excommunicati. Olim quaedam virgines, ait Balsamon, cum laicali habitu ad Deum accedebant, & virginitatem proficiebantur. Definiunt ergo Patres, eos, qui hoc profecti sunt, sive sint viri monachi, sive mulieres, ab iis, quae voverunt, ac profecti sunt, non discedere, nec matrimonio conjungi debere. Hoc Concilii decretum laudant quidem Pontifici, sed ab illo, verbis Pauli Rom. VII. contradicente, & de votis minime licitis haut recte judicante, merito dissentit Ecclesia Lutherana.

S. XI. Concilia, olim a Pontifice Romano confirmata, vehementer errarunt. A Concilio Toletano I. Leonis Papae autoritate confirmato, decretum est: Ut nullus, qui ex Presbyteris est, si ante interdictum, filios suscepere, de Presbyterio ad Episcopatum admitteretur; ut Lector, si viduam alterius uxoris acceperit, nihil amplius fieret, & Diaconus, si uxorem aliam duxerit, ab officio removeretur. Hanc vero doctrinam vocavit Apostolus demoniacam 1. Tim. IV, 3. Illud Concilium concessit concubinatum can. XVII. Si quis, dicens, fidelis, habens uxorem, concubinatum habet, non communicet. Ceterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinatum habet, a communione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinae, (ut ei placuerit) su conjunctione contentus. Hoc Concilii decretum adversatur Pauli verbis: Propter fornicationem quilibet habeat uxorem propriam. 1. Cor. VII, 2. Nuptias quoque secundas viduae Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, condemnavit idem Concilium can. XVIII. Sed audiat Concilium Paulum, qui, volo juniores, ait, 1. Timoth. V, 14. scilicet viduas, nuberas, nubere, filios procreare, maiores familias esse, domum administrare, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Bellarminus, defensor Concilii, concubinam, ratus, uxorem vocari sine dote & externa solemnitate, ipso concubinae nomine, & re ipsa, concubina nempe, a Concilio uxori opposita, refutatur. Dotis absentia & solemnitatis internissio nec concubinae sunt causae, nec conditio-

ditionem & indolem verae uxoris possunt immutare. Concilium non defendit Jesuita exemplo *Abrahami*, quem duas putat concubinas habuisse, *Hagar* & *Cethuram*. *Abraham* enim multas habuit uxores, polygama vero, veteri Testamento absoluto, non est licita, nec concubinatus, matrimonio adversus, est concedendus Christianis. Concilium *Carthaginense* secundum, cuius canones *sexta Synodus in Trullo* confirmavit, voluit, ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi a mulieribus abstinerent. Suo igitur decreto impio legem, a summo Legislatore & Autore humani generis de ducenta uxore latam, abrogavit. *Lateranense* Concilium, sub *Innocentio tertio*, convocatum, Transsubstantiationem & Confessionem auricularem approbavit, & commendavit. Ecclesia vero Apostolica, horum *Pauli* verborum: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nomine communicatio sanguinis Christi est &c.* *1. Corin. X. 16.* memor, aversatur Concilii *Lateranensis* decretum. Confessio auricularis, quae ex omnium peccatorum, quorum recordari potest peccator, enumeratione constat, nec est a Deo mandata, nec potest ullo exemplo probari biblico. Multa alia sunt concilia, quae gravioribus erroribus laborarunt, & autoritate Pontificis Romani sunt confirmata; sed, missis istis, unice Concilii *Tridentini*, quod universale dicitur a Pontificiis, mentionem faciam. Illud sub *Paulo III.* coeptum & *Pio IV.* Pontificibus, finitum, & autoritate Pontificis confirmatum est, quod magna quidem laude ornarunt Dissidentes, & formam ac regulam Doctrinae Catholicae, quam omnes debent sequi Pontifici, dixit Concilium *Remense*, vid. *Concilia novissima Galliae Ludovici Ode- span p. 2. statut. 2. Jubemus nostrarum, ait, Ecclesiarum Rectores infra natalem Domini Tridentinam Synodus, sive latine, sive gallice comparare, in eaque tanquam in speculo inspicere omnium propemodum contentionum, quae Christianos divexant, veritatem, ac ipsam sincere ac pacifice suis gregibus commendare, contrarias vero opiniones & haereses detestari ac fugere.* Sed illud Concilium omnium maxime errasse, probarunt *Chemnitius, Hüsemannus, Danhauerus,*

uem Calvinus, Petrus Svavis, quem Sfortia Pallavicinus refutare
multo studio allaboravit, Innocentius Gentiletus, Heidegerus &c.
Papa damnavit saepe veras Conciliorum sententias, & res ipsa
probavit, absque probatione Pontificis Romani posse vera esse
Conciliorum Decreta. Concilium Constantiense reprobatum
esse, dicit Bellarminus l. i. de Concil. c. 7. p. ii. ideo, quia definit,
Concilium, esse supra Papam. Concilio conradixerunt, ait Bel-
larminus, Florentinum & Lateranense ultimum, & istius Concilii,
sub Martinio V. finiti, opinionem de toto Coenae sacramen-
to in una saltem specie, panis scilicet, contento, approbavit
& confirmavit Concilium Tridentinum. Hinc & Papa & con-
cilia errarunt. Papa nempe & Concilia, quorum autoritate
condemnata est haec sententia: Concilium est supra Papam.
Papa quoque & Concilium Tridentinum magnopere erra-
runt, quoniam falsam Concilii Constantiensis de Coena,
sub una specie integra, opinionem confirmavit. Illud
Concilii decretum est verum, quod ad voluntatem divi-
nam, quae Scriptura est Sacra, conformatum est, & Christiani,
quorum certa rerum divinarum intelligentia, non humana, sed
divina auctoritate innititur, veritatem Decreti non habent ex-
ploratam, nisi, Concilium cum Scriptura Sacra de lata sententia
convenire, recte intelligunt. Hinc dici nequit, Concilii decre-
tum est verum, quia illud sua auctoritate confirmavit Papa; sed
quia Scriptura Sacra isti auctoritatem adjicit, suoque sensu
comprobatur. Ad decreta Conciliorum, quae confirmavit Papa,
cum Scriptura Sacra pugnantia, vitam suam non dirigerent
Pontificii, nisi, Scripturam Sacram, a Romana Ecclesia expli-
catam, tantum divinam esse, statuerent. Quis vero stultitia
vertet Lutheranis, qui & dicunt rectius, summum sacrarum li-
terarum interpretem esse Spiritum Sanctum, & Conciliis, ab
illo interprete dissentientibus, a Papa quoque confirmatis, nul-
lam tribuunt auctoritatem.

§. XII. *Papa, sive solus ex Cathedra, sive cum Concilio de doctrina vel fidei vel morum dicat sententiam, potest errare & saepissime erravit vehementer.* Nam Deus Episcopo Romano nunquam απλωτι, eique soli, potentiam non errandi promisit, multo minus Pontificem Romanum, cui Deus sumimam in Ecclesia dignitatem non concessit, ita perfecit, ut absit ab omni errandi periculo. Homo, qui non sequitur veritatis normam, non tantum potest errare, verum etiam actu errat. Papa vero est homo, cuius animus, ad errorem proclivis, verbo divino confirmandus est; dux autem, quem sequitur Papa, res maxime dubia & incerta est. Nam Papa, de doctrina fidei & morum dicturus sententiam, debet dirigi, vid. antec. p. 6. sermone Prophetarum & Apostolorum, hoc est Scriptura sacra, ab Ecclesia, vel Pontificibus antecessoribus orthodoxis proposita, aut explicata; & quoniam illi interpres, quos dicunt esse infallibles, a summo Scripturae Sacrae interprete dissentient saepius, Papa necessario in errorem inducitur. Papa, controversiarum theologicarum judex, debet sequi sententias Conciliorum, Patrum & Traditiones. Concilia vero a Papa quoque confirmata, saepe errarunt magnopere. Patrum autoritas est humana, pariter ac Conciliorum, qua talium. Pauci aliquos Scripturae libros interpretati sunt, eosque errore esse lapsos, doctiores quoque minime negant Pontifici, & Traditionum autoritas nondum demonstrata est divinis argumentis. Hinc illud, quod Papam debet dirigere, ut nullo errore implicetur, res est incerta, dubia atque fallax. Papa, dicunt Dissidentes, vid. p. antec. 6. non debet judicare solus. Ergo solus non est infallibilis, sed infallibilitatis dominum est divisum & per membra Collegii, quod una cum Papa judicat, & per Papam distributum. Sed a quo accepit illud Papae Consistorium non errandi privilegium? Omnes enim sunt homines, norma illorum est incerta & fallax, nec illi Consistorio licitum est, a Decreto Concilii, quod approbavit Papa, abire ad meliorem sententiam, & quia errare potest
Conci-

Concilium a Papa confirmatum, consilium quoque, quod affert Consistorium Papae, constans ex Cardinalibus, quorum animos praeoccupavit opinio, dubium est atque incertum. Res quoque incerta est, quam adhibere debet Papa, & sine qua Deus nullam illi infallibilitatem promisit. Nam omnis hominis labor, quem ad res divinas recte cognoscendas controversiasque dirimendas impedit, irritus est, & spes omnis cadit in iritum, nisi ille totus lumine, quod inest Scripturae sacrae, ad veritatem adducatur. Hinc Papa consumit suum laborem in ea re, quae ad infallibilitatem Papae parum, vel nihil confert. Omnem enim dat operam, ut suum decretum sacrae Scripturae, ab Ecclesia Romana propositae, traditionibus Apostolicis, quas nemo in lucem protraxit, & Apostolicas esse, demonstravit, & doctrinæ jam ab Antecessoribus in Conciliis definitæ, vid. Bagotius in *Instit. Theol. de vera Relig.* l. 4. disp. 2. c. 3. scđ. 1. p. 370. sit consentaneum. Quanquam hoc quoque concederetur Pontificiis, Papam rectam habere regulam, qua vera & falsa judicentur, nemo tamen de diligentia ejus esset certus. Nam Pontificem, ait Gregorius de Valencia *Tom. III. Comment. l. cit. p. 317.* in unaquaque re decernenda iis argumentis vel testimonius niti oportere, ex quibus veritas, quam determinatur est, pro ratione materiae posse colligi quam certissime. At, quid statuit Swarezius *l. cit. disp. 5. p. 96.* Ecclesiae, inquit, non potest constare, an Pontifex adhibuerit sufficientem diligentiam, nec ne; & animos, anicipiti cogitatione distractos, relinquit quoque incertos Swarezius, dicens: *Spiritus S. qui regit Ecclesiam, non permittit, Pontificem tam imprudenter definire, & ideo, quoties absolute definit, credendum est, sufficientem diligentiam praemississe.* Nam Spiritus S. non dirigit Papam immediato affluo, sed utitur sacris literis, quae sensum verborum, ex quibus constant, ipsæ interpretantur, Sancto affluo conscriptæ *2. Tim. III.* virtute & autoritate gaudent divina, qua unice fides fit Christiana, & omnis ex animo scrupulus hominibus evelli-
tur.

tur. Ecclesia non tantum particularis, verum etiam universalis debet perstare in sententia, si divina innititur autoritate, quamvis Papa non dicat: *Certum est de fide*, nec anathema illi, qui dissentit a decretis ejus, imprecetur; si vero sententia, quam ex cathedra dicit Papa, falsa est plenaque erroris, Ecclesia nec universalis nec particularis editio ejus debet esse audiens. Prophetae & Apostolos errare non potuisse, divina autoritate probavit Bonfrerius p. 28. *Praeloqu. in Pentat.* Pontifices Romanos erroribus esse immunes, divinis quoque demonstrandum est argumentis. Sancti viri, qui fuerunt infallibles, teste Bellarmino l. 1. de Ponif. Rom. c. 10, p. 546. & Joanne Apoc. XXI, 4. fundamenta dicuntur duodecim, Pontifex igitur Romanus non est infallibilis, nec fundamentum Ecclesiae, cui novi non possunt addi lapides, quibus fundamentum omni ex parte perfectum debet augeri. Prophetae & Apostoli fundamenta duodecim, unum a Paulo dicuntur Ephes, II, 20. fundamentum, ut per hoc, ait Estius in *Comment. consensus & concordia doctrinae Apostolicae cum ea*, quam olim tradiderunt Prophetae, significaretur. Papa vero neque Propheta est, neque Apostolus: *Christi* inquit Salmero in *comment.* p. 206. est vicarius, & in sede Apostolica Petri successor, cui dixit Dominus: *Super hanc Petram, i. e. firmum, meaque gratia constabiliut & solidum aedificabo Ecclesiam meam* Matth. XVI. Rex non utitur vicario, qui omnibus suis praesens est subditis Matth. XXVIII, 20. & ille Ecclesiae Petra est, qui lapis est ejus angularis, summusque Monarcha. Papa dissentit a Prophetis & Apostolis; sed vera fundamenti unius, quo nititur Ecclesia, ratio est, teste Estio, summa doctrinae Prophetarum & Apostolorum concordia.

§. XIII. Magnam Apostolorum, qui non potuerunt a vero labi, perfectionem, nullus sibi olim tribuit Episcopus Romanus. Si Marcus Papa literarum esset autor, quas ad Athanasiū & omnes Aegyptiorum Episcopos dedisse quidam putarunt, vid. Gretseri *Examen Mysterii Plessaeani*, Marcus esset primus,

mus, qui, Romanam Ecclesiam errare non posse, seculo IV. statuisset. Sed eas falsas & supposititias esse, existimarunt alii, speciatim Baronius & Ellies du Pin. Agatho vero seculo VII. fuit hujus canonis autor: *sic omnes sanctiones Apostolicae sedis accipiendae sunt, tanquam ipsius divini (Mornayus & Coquaeus in Apologia p. 354. legunt divina) Petri voce firmatae sint.* Nam autoritas, inquit Coquaeus, ad regimen Ecclesiae eadem aequalitas in Petro est & in illius successoribus. Onuphrius, vid. Gregor. VII. Pontificis vita a Gretsero ex Biblioth. Bavar. edit. canones & decreta recenset Gregorii VI. & major, ait p. 248. canonum illorum pars antea parum in usu fuit, & a nemine antecessorum suorum unquam attentata, verum ad firmissimum Ecclesiae statum jaciendum & ad omnia tentanda, quae animo agitabat, idonea. Romanae speciatim Ecclesiae fulcra sunt hi Gregorii (quibus verba, quae repetiit, Gelasii & Nicolai, vid. Bernaldus in Apolog. pro Gregorio VII. auxit) canones: *Papa a nemine judicari debet, & Romana Ecclesia nunquam erravit, nec, scriptura teste, in perpetuum errabit.* vid. p. 249. Quia vero Gregorius Canones suos divinis testimoniosis non confirmavit, nec Pontificii Episcopum Romanum Gregorio VII. antiquorem, qui se erroribus immunem esse statuit, in medium possunt producere, doctrina illorum est nova & infallibilitas Romanae Sedis est Paparum, qui dominatum occuparunt, inventum.

§. XIV. Multos errasse Pontifices Romanos exemplis probarunt Reformati, Sutlivius, Wtackerus, Junius, Mornayus, Chamier & alii, item Lutherani Hutterus, Hunnius, Heilbrunnerus, Gerhardus & reliqui; istos vero tueri conati sunt Pighius, Hosius, Bellarminus, Gretserus, Coquaeus, & ceteri. Integri libri sunt de illa materia, quam non capit haec disputatio, conscripti, paucis igitur exemplis sententiam confirmabimus veram. Liberius Episcopus Romanus, & veritatis defensor acerrimus, vid. Athanas. T. I. p. 243. Liberii epist. & Apolog. Athanas. ad Imp. Constant. p. 807. factus exul, taedio exilii coactus, approbavit
haere-

haeresin Arianam, & condemnationi Athanasi subscrisit. Pighius & Hosius id negant, quoniam Theodoretus cum revocatum vocat optimum; sed ab illis dissentient Pontificii, quos allegavit Gerhardus in *Confessione Carhol.* l. 1. Part. 2. c. 2. Magnam laudem tribuit Liberio Theodoretus, quoniam hic, aliquique Autores, a Bellarmino l. 4. de Romano Pontifice c. 9. p. 824. citati, Liberium, ab initio Episcopatus, usque ad exilium, magnum Ari- norum inimicum fuisse, eumque post redditum in gratiam cum Ecclesia redisse, testantur. Bellarminus, testimonis Athanasi, Hilarii & Hieronymi vixit, historiam veram rem non dubiam, sed certam & exploratam esse statuit. De formula, cui subscriptis Liberius, disputant Valesius, Blondellus & Monachi Bened. Ordin. vid. Notas in *Hilarium* p. 1336. Reete Ellies du Pin in *Bibl. nova* t. 2. Formula Fidei haereticam approbabvit Liberius, & hoc probat epistola ad Presbyteros & Coepiscopos Orientales missa. Ut verius sciaris, ait, me vera fide per hanc epistolam ea loqui, dominus & frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram & catholicam exponere, quae Sirmio a pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, exposita & suscepit est ab omnibus, qui in praesenti fuerunt, hanc ego libenter animo suscepit. Hilar. in *Opere historic.* fragm. 6. p. 1336. Pighius ipse concedit, Liberium non fuisse constantem Veritatis confessorem; lapsum autem Liberii privati hominis fuisse, qui certitudini Pontificiae infallibilitatis ex cathedra qua talis non praejudicat, statuit *Gretserus in Defens. Bellarmini* l. 4. c. 9. p. 1044. & Bellarminus, quem l. cit. defendere conatur *Gretserus*, negat, Liberium & haereticum fuisse, & haeresin docuisse, sed solum peccasse actu externo, & metu coactum, & taedio diuturni exilii impulsu, damnationem Athanasi suo suffragio confirmasse. *Hilarius* vero p. 1336. sequentia addit verbis Liberii: *Haec est perfidia Ariana; Hor ego notavi, non Apostata: Anathema tibi, a me dictum, Liberi, & sociis tuis. Item: Iterum tibi anathema & tertio, praevaricator Liberi.* Haec verba Hilarii esse negavit *Baronius*, cui *Monachi Ordin. Benedicti e Congregat. Mauri* opponunt Codicem veterem; Illi *Monachi ferventissimo Christi confessori in hominem, qui quamvis in summa Ecclesiae dignitate constitutus, Domini tamen sui causam turpiter deseruerit, anathema dicere*

dicere licuisse, Apostolo Autore probari, opinantur. Ab Hilario tamen, dicunt, videtur alienum, ut cum hoc opus suum, Liberio jam correcto, in publicum emiserit, (ea scilicet verba, quae in antiquiore exemplari ad marginem duntaxat adscripta esse, testantur) tum non eraserit prouersus, atque suppresserit. Laude ornandus est Hilarius, qui verbis illis non eratis, nec suppressis probavit satis, se odio habere haeresin pariter atque adulacionem. Liberius, ad subscriptionem, teste Athanasio t. 1. oper. in epistola ad solit. vitam agentes p. 837. minis mortis inductus, exul quoque fuit Romanus Episcopus (Nam Felicem, Liberii exulis successorem, vocat Bellarminus l. 4. de Pontif. Rom. c. 9. p. 826. Papam schismaticum,) & literis ad Episcopos orientales datis, docuit omnes, qui legerunt eas, verba Ariana, quae suo, si non interito, externo tamen consensu confirmavit, suoque exemplo probavit, posse Papam in societatem haereticorum se conferre, & multorum hominum animos falsa doctrina imbuerere. Honoriūm 1. factum Monotheletam, sextam Synodum universalem Constantinopolitanam haerefēos damnasse statuunt Graeci, Lutherani & Pontificii, a Gerhardo in Confessione catholica l. 1. Part. 2. c. 2. Bellarmino l. 1. oper. l. 4. de Pontif. Rom. c. 11. p. 833. Chamiero in Panstratia t. 1. l. 3. c. 12. p. 76. Forbesio in Instruction. Histor. Theol. l. 5. c. 8. sq. & aliis allegati. Honorium defendunt Pighius, Hostius, Bellarminus, Baronius, Gretserus, Petavius & alii Pontificii. Canus speciatim l. 6. Locor. opponit Pighio Honorii epistolas, & Synodi VI. Synodi VII. & VIII. autoritatem, qua condemnatus est Honorius erroris. Autoritatem primae epistolae Pighius & utriusque Bellarminus dicens: Fortassis illae epistolae sunt confitiae, vocant in dubium. Hostius, Pighius, Baronius, Gretserus & alii sententias Synodorum negarunt esse legitimas & decreta illorum genuina. Alii verba Honorii, rectius interpretari conati sunt, speciatim Bellarminus Petavius, tom. 5. Dogmat. de Incarnat. t. 1. c. 21. Labbeus & Cossartius t. 6. Concil. Epistolas ab Honorio dictatas ipsius secretarium conscripsisse, testis est Maximus Bellarmino, Labbeo & Cossartio, qui haec Concilii verba: Epistolas a Sergio scriptas, & epistolam ab Honorio rescriptam ad eundem Sergium invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus sanctorum Concilio-

Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas do-
 trinas haereticorum, eas omnino abjecimus, & tanquam animae no-
 xias execramur, sine omni dubitatione recitant, p. 544. Ma-
 ximus & ceteri, qui sequuntur Maximum putant, Honorium
 duas voluntates hanc absolute Christo denegasse, sed tantummodo con-
 trarias: cuiusmodi in nobis ex corrupto naturae statu reperiuntur.
 Et hoc videtur probari p. 929. his Honorii verbis: Non est assum-
 ta a Salvatore viciata natura, quae repugnat legi mentis ejus.
 Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, aut con-
 traria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis.
 Monotheletarum vero, teste Petavio, hoc fuit argumentum:
 In Christo non nisi divina est voluntas: Si enim duae essent vo-
 luntas, inter se essent contrariae, & Honorius ait: Vnam vo-
 luntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profecto a di-
 vinitate assumta est nostra natura. Haec Christi verba: Non
 veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris, & alia
 hujusmodi ita interpretatur: Non sunt haec diversae volunta-
 tis, sed dispensationis humanitatis assumtae. Ita enim pro-
 pter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia
 ejus. O infallibilem Scripturae Sacrae interpretem, cuius
 verba Monotheletis valde fuerunt grata atque accepta! Nazianzenus quidem illam orationem Filii, qui assumpsit, non
 autem partis assumtae fuisse ratus, ait orat. 36. p. 585. Haec
 non ita dicuntur, quisi propriam voluntatem Filius habeat, atque a
 Patris voluntate separatam, sed potius, quod non habeat. Hono-
 rius autem Papa Romanus, si fuisset infallibilis, potuisset ex
 Christi verbis cognoscere, quod iste voluntatem suam divi-
 nam ab humana distinxerit, & debuisset sequi Augustinum, qui
 tom. 2. Oper. epist. 12. p. 628. ait: Mediator, cum dixisset: Pater,
 si fieri potest, transeat a me Calix iste, humanam in se voluntatem
 ex hominis susceptione transformans, continuo subjecit. Honorius, si
 non Sergii opinionem suam fecisset, debuisset esse memor do-
 ctrinae Synodi Chalcedonensis & Patrum, qui statuerunt: JE-
 sum Christum esse ejusdem naturae cum Patre secundum divinitatem,
 ejusdem naturae nobiscum, & similem per omnia nobis, peccato exce-
 pto, qui unus & idem, in duabus naturis, circa confusione, circa
 mutationem, circa divisionem, circa separationem agnoscatur: ser-
 vatis

variis utriusque naturae proprietatibus, & in unam personam, &
 unam hypostasin conspirantibus, vid. Confessum tertium Synod. &
 non unam Christi voluntatem statuere, sed Sergio, duas in
 Christo voluntates contrarias, divinam scilicet & humanam
 neganti, hoc dare responsum: In Christo non sunt duae volun-
 tates contrariae, Synodus autem Chalcedonensis statuit recte, in
 Christo esse utriusque naturae proprietates, atque ut Christus
 loquitur, voluntas divina atque humana. Hoc vero responso
 non fuit opus Honorio, quia ejus Secretarius, teste Maximo, ex
 Persona Papae Joannis, ita exponit: *Unam, inquit, voluntatem Do-
 mini diximus, non divinitatis ejus & humanitatis, sed solius huma-
 nitatis.* Cum enim scripsisset Sergius, esse, qui dicerent, in Christo
 duas voluntates contrarias, rescripsimus, Christum non habuisse duas
 contrarias voluntates, carnis inquam & spiritus; sed unam tantum,
 quae naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est. Id ita esse
 demonstratur, quod membrorum & carnis facta est mentio, quae di-
 vinitati quoque ejus non possunt attribui. Honorius, non lecreta-
 riis, qui verba Honori literis consignavit tantum, verborum
 suorum est optimus interpres, qui ait: *Unam voluntatem fa-
 temur, (non humanae Christi naturae,) sed Domini nostri JE-
 su CHristi.* Si Honorius negata voluntate contraria, vel lege
 in membris, aliam humanae Christi naturae tribuit, & a Sergio
 fuit diverlus, cur una, dixit, Domini nostri JEsu Christi, (qui
 duas habet naturas, duasque voluntates) est voluntas? Cur
 non duas Christi operationes esse, confessus est? Sergio enim,
 qui, teste Petavio, duabus in Christo positis operationibus, voluntates
 quoque ponit duas contrarias invicem & repugnantes statuit, seque
 dixit, concordiae gratia censuisse, nec unam, nec duas actiones no-
 minandas, sed unum duntaxat operantem, respondit Honorius:
 Utrum propter opera divinitatis & humanitatis una, an geminae
 operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere
 non debent, relinquentes ea Grammaticis. vid. Labbeus l. cit. p.
 932. & a vocibus istis, quas putavit esse novas, existimavit,
 esse abstinerendum, ne parvuli, duabus operationibus concessis,
 Nestorianismum approbari, vel unius operationis laude Eutychia-
 nam haeresin restitui, arbitrentur, atque esse dicendum: *JEsum
 CHristum esse unum operatorem divinac argue humanae naturae.*
 Hono-

Honorius vero vehementer erravit, nodum, quem necebat *Sergius*, non solvit, nec in rectam viam illum reduxit. *Sophronius*, restitit *Cyro* unam in Christo divinitatis & humanitatis defienti, & deinceps a *Sergio* petiti, ut suam interponeret autoritatem, & *Cyro* errorem eriperet. *Sergius* suasit silentium, *Sophronius* autem literas dedit porro ad *Sergium*, vid. *Aet. XI. Synod. Oecum. Sext.* *Nestorianam* sectionem ¶ & *Eutychianam* mutationem condemnavit, duas, divinae Christi & humanae naturae, operationes defendit. Laudatum *Sophronium* Romanum quoque ad *Honorium* misisse literas, eumque de nova *Monotheletarum* haeresi certiores fecisse, non potest negare *Petavius l. cit. c. 19.* *Honorius* igitur a *Sergio* non deceptus, sed a *Sophronio* rectius informatus, probe intellexit, inter *Cyrum* & *Sophronium* non de duplice, humanae Christi naturae voluntate, sed de voluntate & operatione divina, a voluntate humana & operatione distincta quidem, unius tamen operantis, Christi IESU esse controversiam, cognitis *Monotheletarum* erroribus unam putavit. voluntatem, & sine omni dubio cum *Sergio* statuit, ipsam voluntatem humanam esse voluntati divinac contrariam. De re ardua abjecte loquutus est, & εἰνέργειαν aliam divinam, aliquamque humanam, unum autem ἀποτέλεσμα esse, sine quibus redempcionis opus & tertium communicationis genus non possunt cognosci, asseverare noluit, sed potius *Sergium*, *Monotheletarum* erroribus captum, & parvulos, quibus noluit errandi dare occasionem, quidem a *Nestorianismo* & opinione *Eutychiana* (de qua bene *Labbeus l. cit. p. 587.* *Eutychetus* impiate *Monotheletarum* scelera nascentur) abducere conatus est, *Monotheletarum* vero errores, ex *Sophronii* literis cognitos, quibus multi homines potuerunt capi, non eripuit illis, sed suo consensu confirmavit. Multi quoque alii errarunt valde *Pontifices Romani*, speciatim *Gregorius VII.* qui ex cathedra dixit sententiam, transubstantiationem panis & vini statuit, & Clericis conjugio interdixit. Erravit saepe *Eugenius IV.* cum Concilio *Florentino*, & *Pius IV.* qui concilium *Tridentinum* sua autoritate confirmavit.

§. XV. Romanam Ecclesiam non posse in errorem indui, divina putant *Pontificii* probari autoritate. *Io. XIV, 16.*
Matth.

Matth. XVI, 16. 18. 1. Tim. III, 15. Si Ecclesia, inquit Hannenberg
 erraret, eo ipso non haberet asytementum Spiritus S. praevalerent ad
 versus eam Portae Inferi, non esset supra firmam petram, sed are-
 num aedificata, nec columnas & firmamentum veritatis, sed schola
 falsitatis. Verum i. Christus acquisivit precibus suis Spiritum S.
 & divis Apostolis, & toti Ecclesiae. Ipsi immediate afflatu divi-
 no concitat verba fecerunt, & verba divina conficerunt. Ecclesia vero militans vel est particularis, & constat ex Chri-
 stianis quibusdam, qui in aliqua terrae parte degunt vitam,
 vel est universalis, quae complectitur omnes Christianos, qui
 in mundo reperiuntur, vel est universalior, estque coetus Chri-
 stianorum, qui fuerunt olim, nunc sunt, & aliquando erunt;
 vel est universalissima, cujus membra sunt omnes fideles, qui
 quondam fuerunt tam veteri, quam novo Testamento, nunc
 sunt, & aliquando erunt. Ecclesiam hodie particularem pariter
 ac universalem dirigit Spiritus S. affatu mediato, & ani-
 mos verbi sui lumine collustratos liberat erroribus, Psal. CXIX.
 105. 2. Petr. I, 19. Ecclesia vero universalior & universalissima
 utroque gaudebant afflatu, immediato Prophetae & Apostoli,
 qui in errorem deferri non potuerunt, mediato vero fideles &
 Christiani reliqui, qui a verbo divino, veritatis divinae regula
 aberrantes, erroribus implicati sunt, Es. VIII, 20. Ab hac re-
 gula aberrat & aberravit Romana Ecclesia, cujus actio omnis
 ad verbum quidem divinum, sed a Papa propositum, & Tra-
 ditiones dirigitur. 2. Petrus est Christus, Petruique confessio.
 Super hanc Petram, ait Christus, aedificabo Ecclesiam meam.
 Christi Ecclesia fuit olim non tantum Romana, verum etiam
 omnes Orientales, quae tamen in errores inductae sunt, & a
 Petra plane defecerunt: A Clemente Epist. ad Corinth. I. p. 134.
 Vol. 1. Patr. Apoſt. non tantum Romana, verum etiam *Corinthica* Ecclesia vocatur ἐκκλησία τῆς Θεοῦ. Ecclesiam igitur, innixam
 Christo, non possunt expugnare Portae Inferorum, quae Ec-
 clesiam a Petra remotam & alienam in suam ditionem redi-
 gunt. Ecclesia universalis est inexpugnabilis, & omnia ejus
 membra non possunt una & simul a Christo deficere; Roma-
 na vero Ecclesia est particularis, quam olim accurate funda-
 tam & exstructam laudavit Paulus, hodie vero novo funda-
 mento,

mento, quod Pontifex est Romanus, innititur. Romanae Ecclesiae antiquae & orthodoxae fundamentum fuisset *Petrus*, si Christus *Petrum* dixisset Petram, fundamentum, quod posuit Ecclesiae. Sic, ait *Coserus in Euchirid. Controvers.* c. 3. p. 139. *aedificabo Ecclesiam super hoc Saxum; hoc est super Petrum, omnes veteres interpretati sunt.* Christus autem distinguit Petram a *Petro*, qui Christum, minime vero se, vocavit Petram *i. Petri II*, s. Ecclesiae fundamentum, nec aliud, teste *Paulo I. Cor. III*, *ii.* potuit ponis. *Coserus* refutatur magna testium veritatis multitudine, a *Gerhardo in Confessione Catholica* l. 1. Part. 2. c. 2. a *Reissner & Launojo T. V. epist. 7. Jo. Forbesio in Instruct. Histor. Theol. I. 15. c. 6. 7. 8. &* multorum Patrum sententias, a *Baronio & Bellarmino* nobis oppositas, rectius explicant *Chamier, Forbesius & alii.* Patres enim, rati, Christum dixisse *Petrum* Ecclesiae fundamentum, non putarunt, Romanos Episcopos esse Petram & firmum, quod posuit Christus, Ecclesiae fundamentum.

§. XVI. Ecclesia Dei universalis, *Petra*, quae est Christus, innixa *Marth. XVI*, vocatur Domus Dei. Templo Hierosolymano quidem similis, multo tamen etiam illo nobilior, Domus teste *Petro I. Epist. II*, s. spiritualis, constans ex lapidibus vivis, cuius lapis angularis est Christus, *comm. 6.* Ecclesia Dei domus est σύλος καὶ ἐδράσουσα τῆς ἀληθείας. Haec equidem verba ab antecedentibus separant, atque cum sequentibus conjungunt *Camero in operibus* p. 283. L. *Capellus, Episcopius Part. alt. oper. in Vedel. Rapsodo* p. 348. *Erasmus Schmidius Sc.* Horum opinio confirmatur auctoritate Codicis Basiliensis anno 1540. edito. Ab ipsis vero dissentunt reliqui, & nos eos & antiquissimos Codices, quos viderunt *Origenes T. II. Oper. in Joannem* p. 345, *Chrysostomus & Hieronymus*, merito sequimur. Nonnulli interpres vocant σύλον sedem & locum, & hunc vocis usum probat *Heinsius* in *Exercit. sacris auctoritate LXX.* qui hebraica עַמְרוֹן vertunt, *stare suo*, *Lutherus & Latinus*, locus his graccis ἐπὶ τὸν σύλον, exponunt. Ecclesia enim est veritatis divinae sedes, sive locus veritati destinatus, quoniam illi concreta sunt, λόγια τὰ θεῖα *Rom. III. 2.* Hinc ait *Hieronymus tom. 9. oper. in comment. in b. I.* In illa nunc sola veritas stat firmata. Alii vocant Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis passim, speciatim *Sebastianus Schmidius in Colleg. Bibl.* quia fideles, verita-

E tem

tem profitentes, & in sententiis ejus permanentes, instar columnarum & firmamentorum sunt stabiles, optimeque firmati, atque Ecclesia, ex fidelibus constans, est columna & firmamentum veritatis, quae illam fixit atque formavit. Exstructi enim sunt fideles super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, lapide angulari summo existente Christo *Ephes. II, 20.* & hanc sententiam amplexus est Chrysostomus qui *Tom. IV. Oper. in 1. Epist. Tim III, 15.* p. 290. ή ἀληθεία εἰς τῆς ἐκκλησίας καὶ σύλος καὶ ἔδραιων. Multi Interpretes putant Ecclesiam esse active veritatis columnam & firmamentum, non quidem architectonice, sed quia instar est columnae, cui leges publicae Principumque edicta affiguntur. Ecclesia debet veritatem divinam amplecti, eam custodire, non ut officina librariorum, vid. *Bellarmino t. 2. oper. l. 3.* de Ecclesia militante cap. 14. p. 149. sed ut ministra Dei fidissima, quae divina verba recte interpretatur, omnia sua verba ad normam Scripturae sacrae dirigit, Biblia ab interitu vindicat, laudem illorum ad semipaternam memoriam propagat, atque defendit. Existimo, haec omnia, quae ab Interpretibus dicta sunt, esse veras rationes, quarum causa Ecclesia columna & firmamentum veritatis nominatur. Haec vero omnia vim graecarum vocum exhaustire negant Pontificii. *Apostolus*, ait *Bellarminus*, vocans Ecclesiam columnam veritatis, vult significare veritatem fidei, quo ad nos niti Ecclesiae autoritate, & verum esse, quicquid Ecclesia probat, falsum, quicquid illa improbat. Columna vero non semper est id, quod rem fulcit & sustinet. *Salomon* duas e regione posuit columnas *l. Reg. VII, 15.* quas σύλες vocant LXX Interpretes, sed nulla res fulta est illis. Veritas neque in se, neque qua nos, potest autoritate Ecclesiae nisi, quoniam veritas fundamentum Ecclesiae est. *Matth. XVI, Ephes. II.* Hinc *Irenaeus l. 3. c. 1.* Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum. It. cap. XI. fol. 186. edit. *Gallas.* Disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiae est Evangelium & spiritus vitae. Hinc nulla Romanae Ecclesiae infallibilitas immediate potest probari *Pauli* verbis. Nam Romana Ecclesia non est universalis, sed particularis, quae tam diu veritatis manet columna, quam diu a veritate, quam *Irenaeus* vocat Evangelium, non

non recedit: *Nos sumus Christi domus, si fiduciam & gloriacionem spei usque ad finem firmum retineamus.* Hebr. IX, 6. Columna & firmamentum Ecclesiae Romanae non est Scriptura sacra, sed verbum Pontificis Romani, ergo non potest columna & firmamentum veritatis nominari. Romanam Ecclesiam particularem esse, quam erroribus non immunem esse Pontificii pernegare non audent, Ignatii tempore statuerunt Patres. Nam Ignatius laudat valde Romanam Ecclesiam, dilectam & illuminatam, quae praesidet in loco Romanae Regionis p. 26. Volum. 2. Patrum Apostol. & p. 72. Uti singulis, ait Vossius, in notis choris suis est magister, cuius ad modum & mensuram omnes attundunt: ita quoque singulis chori Romani membris praesidem ponit Ecclesiam, cui concorditer omnes parere debent. Planum est, ait Usserius, p. 72. edit. Cleric. Ignatium de Romana Ecclesia ut Topica hic loqui non ut Oecumenica. Oecumenica nunquam fuit, nec illam vocavit unquam Ignatius Oecumenicam.

§. XVII. Romanum Pontificem ex cathedra sententiam dicentem in errorem non posse rapi *Lucius I. Felix, Marcus, Leo I. Leo IX. Agatho, Paschalis II. Bernhardus & Innocentius III.* ut *Bellarminus T. 1. oper. l. 3. de Verbo Dei c. 5.* opinatur, verbis Christi *Luc. XXII, 32.* demonstrarunt. Interpretum sententiae discrepant. Nam teste *Launojo Tom. 5. epist. 6.* statuerunt Patres orasse Christum, l.) ut *Petrus* nunquam fidem amitteret, speciatim, *Tertullianus, Cyprianus &c.* quos *Reiserus* quoque allegat p. 186. vide *Launoj. testem veritatis Evangelie. Cathol. 2.*) ut Ecclesia Romana per *Petrum* fundata, a fide nusquam deficeret. Haec sententia placuit *Agathoni Damiano &c. 3.*) ut sedes *Petri* vel fides Apostolica nunquam de fide deficeret, hanc opinionem amplexi sunt *Bernhardus, Leo IX. Gregorius VII. &c. 4.*) ut Ecclesia universalis, vel concilium universale nunquam deficeret a fide. *Pellarminus autem l. 4. de Romano Pontifice c. III. p. 805. 1.*) ait, *quidam Parisiensis (Parisensibus multos confitire probavit Launojus)* dixerunt: *Dominus oravit pro Ecclesia universalis, sive pro Petro, ut totius Ecclesiae figuram gerebat.* 2.) *Alia docent, Dominum orasse pro perseverantia filius Petri in Gratia Dei usque ad finem.* Ab autoribus istarum sententiarum; ideo discentit *Bellarminus*, quia Christus orationem speciatim ad *Petrum*, qui, aliquando conversus, confirmare debuit fratres, quos Ecclesia non habet universalis, direxit, & quia Christus paulo post Deum petiit *Io. XVII.* ut fidem omnium Apostolorum contineret, & sequentia

E 2

fecit

fecit verba: *Confirmat fratres tuos*, haec tercia illi per placuit sententia: *Dominus, duo inquit privilegia Petro impetravit. Unum, ut ipse non possit unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur a Diabolo, hoc est, non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet; alterum est, ut ipse, tanquam Pontifex, non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive, ut in sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem.* Christus verba sua direxit ad Apostolum, qui dicebatur *Simon*, peccatum delictis reliquorum Apostolorum gravius commissurus, sed divina gratia convertendus, & non tantum pro salute *Petri*, verum etiam reliquorum Apostolorum oravit. *Io. XVII.* quod ex hoc Christi quoque sermone: *Oravi pro te, constare putarunt quidam Patres. Dominus Iesus oravit, ait Ignatius ad Smyrnaeos p. 90. μὴ ἐνδέπει τὴν πίστιν τῶν ἀποστόλων.* Hoc confirmat *Salmero t. 9. p. 376.* autoritate *Augustini* Id, quod petiit Christus, fuit fides justificans, qua deinceps se privavit *Petrus*, qui peccatum mortale commisit, & fidem dogmaticam ejuravit. Hinc petiit Christus, ut poenitentiam ageret *Petrus*, in gratiam cum Deo rediret, & fides ejus usque ad mortem integræ & incorrupta conservaretur. Haec verborum interpretatio non displicet *Dionysio Carthusiano & Jacobo Fabro Stapulensi*. Unam rem, repetitis precibus a Deo petere & pro salute omnium, atque unitus speciatim, orare non est indignum Christo, Sacerdoti summo. Haec felicitas Electorum communis nullam probat infallibilitatem immediatam, neque ista demonstratur reliquis Christi verbis: *Conversus confimes fratres tuos. Bellarminus*, quidem verba Christi ita interpretatur: *Tu, cuius fides non potest desiccare, quando videbis aliquos mutantes & vacillantes, ad eos conversus illos confirma, & Conzeu.* in comment. ait: *Græce dicitur ἐπιτέλεσθαι σὲ convertens ad alios. Maldonatus in commentario verba Christi ita exposuit: Sicut ego te confirmavi, tu iterum fratres tuos confimes.* *Bellarminum* refutavit *Gerhardus in Harmonia p. 1215. 1.)* consensu veterum Doctorum, qui, Christum Petri conversionem mutationemque animi ejus voluisse, recte statuunt. Cum illis faciunt, Pontificii: *Jac. Faber Stapulensi. in h. l. p. 269. Salmero l. cit. Didacus Stella in Euar. Luc. Evangel. p. 280.* & haec Patrum explicatio non disciperet *Maldonato. 2.)* verbis *καὶ σὺ ποτὲ ἐπιτέλεσθαι*, quibus per oppositionem lapsus Petri a conversione futura separatur. *3.)* Circumstantiis & verborum connexione. A fide enim, per insidias Satanæ destruenda, divina

divina vero *Gratia* *Petro* testuenda, separari non potuit *Petri* conversio. Hinc Graecum ἵπτεψας non est, convertens se ad alios, verum te convertens, vel quum te converteris. Bene *Piscator*: *Salvo illo Jeremiae c. XXXI, 18.* *Converte me Domine & convertar.* Mandata enim divina, imperativa, sunt simul operativa. Hinc Graecum, quod praeterit *Maldonatus*, explicant *Latinus*, *Patres*, *Stephanus* & alii latino: *Conversus*, qui sola conversione non est factus immunis erroribus, sed speciali *Spiritus S.* effusione. Christus, interprete *Dionysio Carthusiano* dixit ad *Petrum* perfecte *conversum*, quod maxime fuit, accepto in die Pentecostes *Spiritu S.* *confirmata frates tuos*, & haec sententia confirmatur conditione *Petri*, qui ante solemnem effusione *Spiritus S.* crassis erroribus fuit implicatus. Hinc *Petrus*, *Paulus*, utrique *Apostoli*, *AET. XIV,* 22, fuerunt infallibilis, & confirmarunt fratrum animos, non vero omnes, qui confirmant fratres, quod non ultima boni Doctoris pars est, naëti sunt infallibilitatem, & eam Christus neque suis precibus impetravit, qui pro salute omnium *Apostolorum*, & successorum *Petri*, pariter atque ceteroruinque *Apostorum* oravit, Pontifici Romano, neque afflatu speciali errandi potentiam illi ademit. Literae *Lucii*, *Felicitatis* & *Marci*, quibus *Bellarminus*, ini quis verborum Christi interpres, innititur, sunt suppositae, & apud nos parum potest autoritas Agathonis & reliquorum Episcoporum Romanorum, qui omnem dederunt operam, ut semper admirabilem dignitatem haberent. *Leonis tamen*, *Agathoris*, *Nicolai* & *Innocentii* verba explicat *Lainojs* rectius, atque probat autoritatem horum virorum non facere pro Papae, sed pro Ecclesiae infallibilitate, quam sententiam approbant *Tostatus*, *Dion*, *Carthus*. & alii, sedemque Romanam distinguunt a Pontifice Romano. Papae infallibilitatem Christi verbis probari, negant & pernegant Pontificii *Tostatus*, *Alphonsus tom. 4. in Matth. p. 192.* *Faber Stapul.* *Didacus Stella*, qui, crassis erroribus capti, a fide defecerunt.

§. XVI. Christum speciatim curae *Petri* demandasse omnes homines, *Apostolos* pariter ac ceteros Christianos, & confirmationem, de qua loquitur est Christus *Luc. XXII*, plane singularem fuisse, hoc Christi *Io. XXI, 16.* sermone, ad *Petrum* directo probari putant Pontificii. Ille enim, ut opinantur *Bellarminus*, *Gretserus* & alii, institutus est *Pastor & Doctor totius Ecclesiae*, quem tota Ecclesia audire & sequi tenetur. Autoritas autem pascendi singularis

non tantum est potestas docendi, quam omnibus Apostolis indifferenter Christus tribuit, sed potestas quoque jurisdictionis, interpretandi seu proponendi veritates sub obligatione illas credendi. Ergo haec potestas habet necessario adjunctam infallibilitatem & assentiam Spiritus S. ut minime erret. Nam mens nostra saepe aberrat a doctrina divinitus revelata, & fides quae infallibili nittitur testimonio nostris viribus non potest assequi, nec Deus docet singulos immediate, sed per os sanctorum virorum & per os Ecclesiae, Malach. II. Et si Papa erraret, tota erraret Ecclesia, & nemo posset condemnare haereses. Vid. Gregor. de Valentia tom. 3. Comment. Theol. disp. 1. q. 1. punct. 7. p. 133. Jgg. Svarez. in opere de triplici virtute theolog. disp. 5. sect. 8. p. 94. & alii. Verum Christus eandem potestatem concessit omnibus Apostolis. Jo. XX, 21. Matth. XXVIII, 19. & nunquam Petro, nec hic sibi ipsi Jurisdictionem & dominium tribuit. Verbis & sententiis consentiunt nobis Patres a Forbesio in Instruct. Historico Theol. I. 15. c. XV. laudati. Petrus fuit infallibilis, & Doctor hominum catholicus, Papa vero potestatem illam, Apostolis divinibus concessam, consequitus est nunquam. Quilibet Ecclesiae Doctor potest absque opinione infallibilis Papae mentes hominum luce verbi divini collustringe, & errantem in retam viam reducere. Si fides est ex auditu, non humana Papac, sed divina Scripturae sacrae autoritate innititur Rom. X. Illud quoque doctrinæ genus, quod afflatur fit divino, & mediato, est infallibile, & sanctorum virorum successores debent verba divina, quae sacris literis consignata sunt, alios docere. Si errat Papa, unus errat episcopus, qui non est tota Ecclesia. Hinc non pauci dicunt Pontifici: Papa erravit olim, Ecclesia vero non erravit: Errores Semi Arianorum approbat Liberius, Romana vero Ecclesia & a Liberio & a Semi Arianis fuit aliena. Judex principalis, qui haereticum erroribus condemnat, & vox ejus. quac scriptura sacra, & judex ministerialis, qui suum sermonem ad normam illam dirigit, nec errant, nec alios in errores inducunt, ut vero iusta & aqua dicatur sententia, judicis inferioris infallibilitas non requiritur.

§. XVIII. Papam & Concilium generale non posse errare, auctoritate Patrum demonstrare admittitur Hannenbergius. Augustinus vocat illud ultimum Ecclesiae iudicium, cui . qui non assentitur, errat in fide. Cyrus de Trinitate divinum & sanctissimum oraculum appellat. Ambrosius Epist. 32. inquit: sequor tractatum Nicenam Concilium, a quo ne mors, nec gladius poterit separare. Porro Concilium hoc canone 3. docet; Nihil definitum in consilio Romano Pontifici permisum est. Augustinus non concilii sed Scripturæ sacrae tribuit infallibilitatem. Nec ego, ait ad Maximinum Arian. Episcopum Lib. 3. p. 733. Tom. 6. Nicenum, nec tu dches Ariminense, ranguam praedicaturus, proferre Concilium: nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione concertet. Cyrus nunquam dixit ideo concilium sanctissimum oraculum, quia infallibilitatem ei tribuit. Ambrosius Epist. 21. edit. Monach. Ord. Benedict. p. 862. t. 2. approbat quidem Concil. Nicenam, immediatam vero ejus infallibilitatem illi non tribuit. Canone, quem Bellarminus vocat antiquissimum, l. 1. d. Concil. & Ecclesia c. 12. p. 24. nulla concili probatur infallibilitas, nec eo Bellarmine opinionem defendi, Launojus tom. 6. Epist. 11. demonstravit.

94 A 7376




Retro

V077

III.50.

B.I.G.

Farbkarte #13



L. N. I.
DISPVATIO INAVGVRALIS THEOLOGICA
DE

ECCLESIA
ERRORE IMMUNI
QVAM
PRAESIDE
GEORGIO FRIDERICO
SCHROEERO

SS. THEOL. DOCTORE PROF. PVBL.
H. T. ORDINIS SVI DECANO ET ALVMN. REG.
ELECTOR. EPHORO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES
CONSEQVENDI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS

AD D. I. IVL. c. I, I, cc XXVI.

IN AUDITORIO MAIORI

PUBLICE DEFENDET

M. CHRISTOPH. LVDOV. Stieglitz
LIPSIENSIS

S. S. THEOL. CANDIDAT. ET AD DIV. VENCESLAI
APVD NVMBVRGENSES ARCHI-DIACONVS.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

